

se haber sicut oculus noctur ad Solem : unde parvum lumen intelligibile quod est nobis connaturale , sufficit ad nostrum intelligere.

Quod autem lumen intelligibile nostrae animae connaturale sufficit ad faciendum actionem intellectus agentis , patet , si quis consideret necessitatem ponendi intellectum agentem. Inveniebatur enim anima nostra in potentia ad intelligibilia , sicut sensus ad sensibilia : sicut enim non semper sentimus , ita non semper intelligimus. Haec autem intelligibilia , quae anima intellectiva humana intelligit , Plato postuit esse intelligibilia per se ipsa , scilicet ideas : unde non erat ei necessarium ponere intellectum agentem intelligibilia. Si autem hoc esset verum , oporteret quod quanto aliqua sunt secundum se magis intelligibilia , eo magis intelligerentur a nobis ; quod patet esse falsum : nam magis sunt nobis intelligibilia quae sunt sensui proximiora , quae in se sunt minus intelligibilia : unde Aristoteles fuit morus ad ponendum III. de Anima text. com. xvii. & xviii. quod ea quae sunt nobis intelligibilia , non sunt aliqua existentia intelligibilia per se ipsa , sed fiunt ex sensibilibus : unde oportuit quod poneret virtutem quae hoc faceret ; & haec est intellectus agens. Ad hoc ergo ponitur intellectus agens ut faciat intelligibilia nobis proportionata. Hoc autem non excedit modum luminis intelligibilis nobis connaturalis : unde nihil prohibet ipsi lumini nostrae animae attribuere actionem intellectus agentis ; & praecipue cum Aristoteles III. de Anima text. com. xviii. intellectum agentem comparat luminis.

CAPUT LXXVIII.

Quod non fuit sententia Aristotelis , quod intellectus agens sit substantia separata , sed magis quod sit aliquid anima.

I. Part. quest. lxxix. art. 4.

Quia vero plures opinioni suprapositae assentiunt , credentes eam fuisse opinionem Aristotelis , ostendendum est ex verbis eius , quod ipse hoc non sentit de intellectu agente , quod sit substantia separata.

I. Dicit enim primo , III. de Anima text. com. xvii. & xviii. quod sicut in omni natura est aliquid quasi materia in unoquoque genere , & hoc est in potentia ad omnia quae sunt illius generis ; & aliquid quasi efficiens , quod facit omnia quae sunt illius generis , sicut se habet ars ad materiam : necesse est & in anima esse has differentias , & huiusmodi quidem ; scilicet quod in anima est sicut materia , est intellectus possibilis , in quo fiunt omnia intelligibilia ; ille vero qui in anima est sicut efficiens causa , est intellectus quo est omnia facere , scilicet intelligibilia in actu , idest intellectus agens , qui est sicut habitus , & non sicut potentia.

Qualiter autem dixerit intellectum agentem habitum , exponit subiungens , text. com. xviii. quod est sicut lumen : quoddam enim modo lumen facit potentia colores esse actu colores , inquantum scilicet facit eos visibiles actu ; hoc autem circa intelligibilia attribuitur intellectui agenti.

Ex his autem manifeste habetur quod intellectus agens non sit substantia separata , sed magis aliquid animae : expresse enim dicit , quod intellectus possibilis , & agens sunt differentiae animae , & quod sunt in anima. Neutra ergo earum est substantia separata.

2. Adhuc. Ratio eius hoc idem ostendit. Quia in omni natura in qua invenitur potentia , & actus ,

est aliquid quasi materia , quod est in potentia ad ea quae sunt illius generis , & aliquid quasi agens , quod reducit potentiam in actum , sicut in artificialibus est ars , & materia. Sed anima intellectiva est quaedam natura in qua invenitur potentia , & actus , cum quandoque sit actu intelligens , & quandoque in potentia. Est igitur in natura animae intellectivae aliquid quasi materia , quod est in potentia ad omnia intelligibilia , quod dicitur intellectus possibilis ; & aliquid quasi causa efficiens , quod facit omnia in actu , & dicitur intellectus agens. Uterque igitur intellectus , secundum demonstrationem Aristotelis , ubi supra , est in natura animae , & non aliquid separatum secundum esse a corpore , cuius anima est actus.

3. Amplius. Aristoteles dicit , ibid. text. xviii. quod intellectus agens est sicut habitus : quod est lumen. Habitus autem non signatur ut aliquid per se existens , sed alicuius habentis. Non est igitur intellectus agens aliqua substantia separatum per se existens , sed est aliquid animae humanae.

Non autem intelligitur littera Aristoteles ut habitus dicatur esse effectus intellectus agentis , sed ut sit sensus , intellectus agens facit hominem intelligere omnia , quod est sicut habitus : haec enim est definitio habitus , ut Commentator Averroes ibidem dicit , quod habens habitum intelligit per ipsum , quod est sibi proprium ex se , & quando voluerit , absque hoc quod indigeat in eo aliquo extrinseco : expresse enim assimilat habitui non ipsum factum , sed intellectum , quo est omnia facere.

Nec tamen intelligendum est , quod intellectus agens sit habitus , per modum quo habitus est in secunda specie qualitatis , secundum quod quidam dixerunt , intellectum agentem esse habitum principiorum : quia habitus ille principiorum est acceptus a sensibilibus , ut probat Aristoteles in II. Posteriorum text. com. ult. & sic oportet quod sit effectus intellectus agentis , cuius est phantasmata , quae sunt intellecta in potentia , facere intellecta in actu. Sed accipitur habitus secundum quod dividitur contra privationem , & potentiam ; sicut omnis forma , & actus potest dici habitus : & hoc apparet , quia dicit hoc modo intellectum agentem esse habitum , sicut lumen habitus est.

Deinde subiungit , text. com. xix. quod hic intellectus , scilicet agens , est separatus , & immixtus , & impassibilis , & substantia actu ens. Horum autem quatuor , quae attribuit intellectui agenti , duo supra expresse de intellectu possibili dixerat , scilicet quod sit immixtus , & quod sit separatus ; tertium , scilicet quod impassibilis , sub distinctione dixerat : ostendit enim primo , text. vi. & vii. quod non est passibilis , sicut sensus ; & postmodum , text. com. xiv. ostendit quod communiter accipiendi pati , passibilis est , inquantum scilicet est in potentia ad intelligibilia. Quartum vero omnino negaverat de intellectu possibili , dicendo quod erat in potentia ad intelligibilia , & nihil horum erat actu ante intelligere. Sic igitur in duobus primis intellectus possibilis convenit cum agente ; in tertio partim convenit , & partim differt ; in quarto autem omnino differt agens a possibili. Has quatuor conditiones agentis probat per unam rationem , subiungens , text. com. xix. Semper enim honorabilis est agens patiente , & principium , scilicet activum , materia : supra enim , text. com. xvii. dixerat , quod intellectus agens est sicut causa efficiens , & possibilis sicut materia. Per hoc autem medium concluduntur duo prima sic. Agens est honorabilis patiente , & materia. Sed possibilis , qui est

est sicut patientis , & materia , est separatus , & immixtus , ut supra cap. lxxi. probatum est. Ergo multo magis agens. Alia vero per hoc medium sic excluduntur. Agens in hoc est honorabilis patiente , & materia , quod comparatur ad ipsum sicut agens , & actus ens , ad patientem , & ens in potentia. Intellectus autem possibilis est patientis quodammodo , & potentia ens. Intellectus igitur agens est non patientis , & actu ens. Patet autem quod nec ex his verbis Aristotelis haberi potest quod intellectus agens sit quaedam substantia separata , sed quod sit separatus hoc modo quo supra dixit de possibili , scilicet ut non habeat organum.

Quod autem dicit , quod est substantia actu ens , non repugnat ei quod substantia anima est in potentia , ut supra cap. lxxvi. ostensum est.

Deinde subiungit text. com. xix. Idem autem est secundum actum scientia rei : in quo Commentator dicit , quod differt intellectus agens a possibili : nam in intellectu agente idem est intelligens , & intellectum , non autem in possibili. Hoc autem manifeste est contra intentionem Aristotelis : nam supra text. com. xvi. eadem verba dixerat de intellectu possibili ; ubi dixit de intellectu possibili , quod ipse intelligibilis est sicut intelligibilia : in his enim quae sine materia sunt , idem est intelligens , & quod intelligitur : scientia namque speculativa , & quod speculatum est , idem est. Manifeste enim per hoc quod intellectus possibilis , prout est actu intelligens , idem est cum eo quod intelligitur , vult ostendere quod intellectus possibilis intelligitur sicut alia intelligibilia. Et primum supra text. com. xiv. dixerat , quod intellectus possibilis est quodammodo intelligibilia ; sed nihil actu est antequam intelligat : ubi expresse dat intelligere quod per hoc quod intelligit actu , fit ipsa intelligibilia. Nec est mirum , si hoc dicat de intellectu possibili , quia hoc etiam supra text. com. xii. dixerat de sensu , & sensibili secundum actum. Sensus enim fit actu per speciem sensatam in actu ; & similiter intellectus possibilis fit actu per speciem intelligibilem actu : & hac ratione intellectus in actu dicitur ipsum intelligibile in actu.

Est igitur dicendum , quod postquam Aristoteles determinavit de intellectu possibili , & agente , hic incipit determinare de intellectu in actu , dicens text. com. xix. quod scientia in actu , est idem rei scita in actu. Deinde dicit text. com. xx. Qui vero secundum potentiam tempore prior in uno est , omnino autem neque in tempore. Qua quidem distinctione inter potentiam & actum in pluribus locis utitur , scilicet quod actus secundum naturam est prior potentia ; tempore vero in uno & eodem quod mutatur de potentia in actum est prior potentia actu ; simpliciter vero loquendo , non est potentia etiam tempore prior actu , quia potentia non reducitur in actum nisi per actum. Dicit ergo , quod intellectus qui est secundum potentiam , scilicet possibilis prout est in potentia , prior est tempore quam intellectus in actu ; & hoc dico in uno & eodem , non tamen omnino , idest universaliter : quia intellectus possibilis reducitur in actum per intellectum agentem , qui est in actu , ut dixit ; & iterum per aliquem intellectum possibilem factum actu : unde dicit in III. Physic. text. com. xx. quod ante addiscere indiget aliquis docente , ut reducatur de potentia in actum. Sic igitur in verbis istis ostendit ordinem intellectus possibilis , prout est in potentia , ad intellectum in actu.

Deinde dicit text. com. xx. Sed non aliquando qui-

dem intelligit , & aliquando non intelligit : in quo ostendit differentiam intellectus in actu , & intellectus possibilis. Supra enim text. com. xiv. dixit de intellectu possibili , quod non semper intelligit , sed quandoque non intelligit , quando scilicet est in potentia ad intelligibilia ; quandoque intelligit , quando scilicet est in actu ipsa. Intellectus autem per hoc fit actu quod est ipsa intelligibilia , ut iam dixit text. com. viii. unde non competit ei quandoque intelligere , & quandoque non intelligere.

Deinde subiungit in eodem text. com. xx. Separatum autem hoc solum quod vere est : quod non potest intelligi de agente , non enim ipse solus est separatus , quia iam idem dixerat text. com. vii. de intellectu possibili ; nec potest intelligi de possibili , quia iam idem dixerat text. com. xix. de agente. Relinquitur ergo , quod dicatur de eo quod comprehendit utrumque , scilicet de intellectu in actu , de quo loquebatur , quia hoc solum in anima nostra est separatum , non utens organo , quod pertinet ad intellectum in actu , idest illa pars animae qua intelligimus actu , comprehendens possibilem , & agentem.

Et ideo subiungit , quod hoc solum anima est immortale , & perpetuum , quasi a corpore non dependens , quum sit separatum.

Et ideo subiungit , quod hoc solum anima est immortale , & perpetuum , quasi a corpore non dependens , quum sit separatum.

CAPUT LXXIX.

Quod anima humana , corrupto corpore , non corrumpitur.

I. Part. quest. lxxv. art. 7.

EX praemissis igitur manifeste ostendi potest , animam humanam non corrumpi , corrupto corpore.

1. Ostensum est enim supra , omnem substantiam intellectualem esse incorruptibilem. Anima autem hominis est quaedam substantia intellectualis , ut ostensum est. Oportet igitur animam humanam incorruptibilem esse.

2. Adhuc. Nulla res corrumpitur ex eo in quo consistit sua perfectio : haec enim mutationes sunt contrariae , scilicet ad perfectionem , & ad corruptionem. Perfectio autem animae humanae consistit in abstractione quadam a corpore : perficitur enim anima scientia , & virtute ; secundum scientiam autem tanto magis perficitur , quanto magis immaterialia considerat ; virtutis autem perfectio consistit in hoc quod homo corporis passiones non sequatur , sed eas secundum rationem temperet , & refraget. Non ergo corruptio animae consistit in hoc quod a corpore separatur.

3. Si autem dicatur , quod perfectio animae consistit in separatione eius a corpore secundum operationem (1) corruptio autem in separatione secundum esse , non convenienter obviatur. Operatio enim rei demonstrat substantiam & esse ipsius ; quia unumquodque operatur , secundum quod est ens , & propria operatio rei sequitur propriam ipsius naturam. Non potest igitur perfici operatio alicuius rei , nisi secundum quod perficitur operis substantia. Si igitur anima secundum operationem suam perficitur in relinquendo corpus , & corporea substantia sua in esse suo non deficiet per hoc quod a corpore separatur.

4. Item. Proprium perfectivum hominis secundum animam , est aliquid incorruptibile : propria enim operatio hominis , inquantum huiusmodi , est

Q 3 in-

intelligere, per hanc enim differt à brutis, & plantis, & inanimatis: intelligere enim est universalium, & incorruptibilem in quantum hujusmodi. Perfectiones autem oportet esse perfectibilibus proportionatas. Ergo anima humana est incorruptibilis.

5. Amplius. Impossibile est appetitum naturalem esse frustra. Sed homo naturaliter appetit perpetuo manere: quod patet ex hoc quod esse est quod ab omnibus appetitur. Homo autem per intellectum apprehendit esse non solum ut nunc, sicut bruta animalia, sed simpliciter. Consequitur ergo homo perpetuitatem secundum animam, quae esse simpliciter, & secundum omne tempus apprehendit.

6. Item. Unumquodque quod recipitur in aliquo, recipitur in eo secundum modum ejus in quo est. Formae autem rerum recipiuntur in intellectu possibili, prout sunt intelligibiles actu: sunt autem intelligibiles actu prout sunt immateriales, & universales, & per consequens incorruptibiles. Ergo intellectus possibilis est incorruptibilis. Sed, sicut probatum est supra c. lxx. & lxxi. intellectus possibilis est aliquid animae humanae. Est igitur anima humana incorruptibilis.

7. Adhuc. Esse intelligibile est permanentius quam esse sensibile. Sed id quod se habet in rebus sensibilibus per modum proprium primi recipientis, est incorruptibile secundum suam substantiam, scilicet materia prima. Multo igitur fortius intellectus possibilis, qui est receptivus formarum intelligibilium. Ergo & anima humana, cujus intellectus possibilis est pars, est incorruptibilis.

8. Amplius. Faciens est honorabilius facto, ut etiam Aristoteles dicit III. de Anima text. com. xix. Sed intellectus agens facit actu intelligibilia, ut ex praemissis patet. Quum igitur intelligibilia actu, in quantum hujusmodi, sint incorruptibilia, multo fortius intellectus agens erit incorruptibilis. Ergo & anima humana, cujus lumen est intellectus agens, ut ex praemissis patet.

9. Item. Nulla forma corrumpitur nisi vel actione contrarii, vel per corruptionem sui subjecti, vel per defectum suae causae. Per actionem quidem contrarii, sicut calor destruitur per actionem frigidi. Per corruptionem autem sui subjecti, sicut destructo oculo, destruitur vis visiva. Per defectum autem causae, sicut lumen aeris deficit, deficiente Solis praesentia, quae erat ipsius causa. Sed anima humana non potest corrumpi per actionem contrarii: non est enim ei aliquid contrarium, cum per intellectum possibilem ipsa sit cognoscitiva, & receptiva omnium contrariorum. Similiter autem neque per corruptionem sui subjecti: ostensum est enim supra cap. lxxviii. quod anima humana est forma non dependens à corpore secundum suum esse. Similiter autem neque per deficientiam suae causae: quia non potest habere aliquam causam nisi aeternam, ut infra ostendetur. Nullo igitur modo anima humana corrumpi potest.

10. Adhuc. Si anima humana corrumpitur per corruptionem corporis, oportet quod ejus esse debilitetur per debilitatem corporis. Si autem aliqua virtus animae debilitetur debilitato corpore, hoc non est nisi per accidens, in quantum scilicet virtus animae indiget organo corporali, sicut visus debilitatur debilitato organo, per accidens tamen; quod ex hoc patet. Si enim ipsi virtuti per se accideret aliqua debilitas, nunquam restauraretur organo reparato. Videmus autem quod quantumcumque vis visiva videatur debilitata, si organum reparatur, vis visiva restauratur: unde dicit Aristoteles in I. de Anima text. com. lxxix. quod si senex accipiat oculum juvenis, videbit utique sicut

juvenis. Quum igitur intellectus sit virtus animae, quae non indiget organo, ut ex praemissis cap. lxxviii. & lxxix. patet, ipse non debilitatur neque per se, neque per accidens per senium, vel per aliquam aliam debilitatem corporis. Si autem in operatione intellectus accidit fatigatio, aut impedimentum propter infirmitatem corporis, hoc non est propter debilitatem ipsius intellectus, sed propter debilitatem virium quibus intellectus indiget, scilicet imaginationis, memorativae, & cogitativae virtutum. Patet igitur quod intellectus humanus est incorruptibilis: ergo & anima humana, quae est intellectiva quaedam substantia. Hoc etiam apparet per auctoritatem Aristotelis, dicit enim in I. de Anima text. com. lxxv. quod intellectus videtur quaedam substantia esse, & non corrupti. Quod autem hoc non possit intelligi de aliqua substantia separata, quae sit intellectus possibilis, vel agens, ex praemissis haberi potest.

11. Praeterea. Apparet ex ipsis verbis Aristotelis in XI. Metaphys. text. com. xvii. ubi dicit, contra Platonem loquens, quod *causae moventes praexistunt, causae vero formales sunt simul cum his quorum sunt causae*: quando enim sanatur homo, tunc sanitas est, & non prius: contra hoc quod Plato posuit formas rerum praexistere rebus. Et his dictis postmodum subdit text. com. xvii. *Si autem et posterius aliquid manet, perscrutandum est: nam in quibusdam nihil prohibet, ut si est anima tale, non omnis, sed intellectus*. Ex quo patet, quum loquatur de formis, quod vult intellectum, qui est forma hominis, post materiam remanere, scilicet post corpus. Patet autem ex praemissis verbis Aristotelis, quod licet ponat animam esse formam, non tamen ponit eam non subsistentem, & per consequens corruptibilem, sicut Gregorius Nyssenus ei imponit: nam à generalitate aliarum formarum animam intellectivam excludit, dicens eam post corpus remanere, & substantiam quandam esse. Praemissis autem sententia catholicae fidei concordat: dicitur enim in Lib. de ecclesiast. dogmatibus: *Solum hominem credimus habere animam substantivam, quae et exuta corpore vivit, et sensus suos, atque ingenia vivaciter tenet, neque cum corpore moritur, sicut Arabs asserit, neque post modicum intervallum, sicut Zenon, quia substantialiter vivit*.

Per hoc autem concluditur error impiorum, ex quorum persona dicitur Sapientiae 11. 2. *Ex nihilo nati sumus, et post hoc erimus tanquam non fuimus*; & ex quorum persona dicit Salomon Eccle. 111. 19. *Unus est interitus hominis, et jumentorum, et aqua utriusque conditio: sicut moritur homo, sic et illa moriuntur: similiter spirant omnia, et nihil habet homo jumento amplius*. Quod enim non ex persona sua, sed impiorum dicat, patet per hoc quod in fine Libri quasi determinando subjungit cap. xli. 17. *Donec revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad eum qui dedit illum*. Insuper etiam sunt auctoritates sacrae Scripturae quae immortalitatem animae protestantur.

Rationes probantes animam humanam corrumpi corrupto corpore.
Videtur autem quibusdam rationibus posse probari, animas humanas non posse remanere post corpus.

1. Si enim animae humanae multiplicentur secundum multiplicationem corporum, ut supra cap. lxxx. ostensum est: destructis ergo corporibus, non possunt

sunt animae in sua multitudine remanere: unde oportet alterum duorum sequi, aut quod totaliter anima humana esse desinat, aut quod remaneat una tantum: quod videtur esse secundum opinionem eorum qui ponunt incorruptibile solum id quod est unum in omnibus hominibus; sive hoc sit intellectus agens tantum, ut Alexander dicit; sive cum agente etiam possibile, ut dicit Averroes III. de Anima com. v.

2. Amplius. Ratio formalis est causa diversitatis secundum speciem. Sed si remanent multae animae post corporum corruptionem, oportet eas esse diversas: sicut enim idem est quod est unum secundum substantiam, ita diversa sunt quae sunt multa secundum substantiam. Non potest autem esse in animabus remanentibus post corpus diversitas nisi formalis: non enim sunt compositae ex materia & forma, ut supra cap. l. probatum est de omni substantia intellectuali. Relinquitur igitur quod sunt diversae secundum speciem. Non autem per corruptionem corporis mutantur animae ad aliam speciem: quia omnia quod mutantur de specie in speciem, corrumpitur. Relinquitur ergo quod antequam essent à corporibus separatae, erant secundum speciem diversae. Composita autem sortiuntur speciem secundum formam. Ergo & individua hominum erant secundum speciem diversa: quod est inconveniens. Ergo impossibile videtur quod animae humanae multae remaneant post corpora.

3. Adhuc. Videtur omnino esse impossibile, secundum ponentes aeternitatem mundi, ponere quod animae humanae in sua multitudine remaneant post mortem corporis. Si enim mundus est ab aeterno, motus fuit ab aeterno. Ergo & generatio est aeterna. Sed si generatio est aeterna, infiniti homines mortui sunt ante nos. Si ergo animae mortuorum remanent post mortem in sua multitudine, oportet dicere, animas infinitas esse nunc in actu hominum prius mortuorum. Hoc autem est impossibile: nam infinitum actu non potest esse in natura. Relinquitur igitur, si mundus est aeternus, quod animae non remaneant multae post mortem.

4. Item. Quod advenit alicui, & discedit ab eo praeter sui corruptionem, advenit ei accidentaliter: haec enim est definitio accidentis. Si ergo anima humana non corrumpitur corpore abscedente, sequetur quod anima humana accidentaliter corpori uniatur. Ergo homo est ens per accidens, qui est compositus ex anima & corpore. Et sequetur ulterius quod non sit aliqua species humana: non enim ex his quae conjunguntur per accidens, fit species una, nam homo albus, non est aliqua species.

5. Amplius. Impossibile est aliquam substantiam esse cujus non sit aliqua operatio. Sed omnis operatio animae finitur cum corpore; quod quidem patet per inductionem. Nam virtutes animae nutritivae operantur per qualitates corporeas, & per instrumentum corporeum, & in ipsum corpus quod perficitur per animam, quod nutritur, & augetur, & ex quo deciditur semen ad generationem. Operationes etiam omnes potentiarum, quae pertinent ad animam sensitivam, complentur per organa corporalia, & quaedam earum complentur cum aliqua transmutatione corporali; sicut quae dicuntur animae passiones, ut amor, gaudium, & hujusmodi. Intelligere autem, etsi non sit operatio per aliquod organum corporale exercita, tamen objecta ejus sunt phantasmata, quae ita se habent ad ipsam ut colores ad visum: unde sicut visus non potest videre sine coloribus, ita anima intellectiva non potest intelligere sine phantasmatibus. Indiget etiam anima ad intelligendum virtutibus preparanti-

bus phantasmata, ad hoc quod fiant intelligibilia actu, scilicet virtute cogitativa, & memorativa; de quibus constat quod quum sint actus quorundam organorum corporis, per quae operantur, quod non possunt remanere post corpus. Unde & Aristoteles dicit III de Anima text. com. xxx. quod *nequaquam sine phantasmate intelligit anima, & quod nihil intelligit sine intellectu passivo*, quem vocat virtutem cogitativam, quae est corruptibilis. Et propter hoc dicit in I. de Anima text. com. lxxiii. quod *intelligere hominis corrumpitur, quod am interius corrupto*, scilicet phantasmate, vel passivo intellectu; & in III. de Anima text. com. xx. dicitur, quod *non reminiscimur post mortem eorum quae scivimus in vita*. Sic igitur patet quod nulla operatio animae potest remanere post mortem: neque igitur substantia ejus manet, quum nulla substantia possit esse absque operatione.

CAPUT LXXXI.

Solutio praecedentium rationum.

HAS autem rationes, quia falsum, concludunt, ut ex praemissis (cap. lxxix.) ostensum est, tenendum est solvere.

Ac primo sciendum est, quod quaecumque oportet esse invicem coaptata, & proportionata, simul recipiunt multitudinem, vel unitatem, unumquodque ex sua causa. Si igitur esse unius dependeat ab altero, unitas, vel multiplicatio ejus etiam ex illo dependet: alioquin ex alia causa extrinseca. Formam igitur, & materiam semper oportet esse ad invicem proportionata, & quasi naturaliter coaptata, quia proprius actus in propria materia fit; unde semper oportet quod materia, & forma consequantur se invicem in multitudine, & unitate. Si igitur esse formae dependet à materia, multiplicatio ipsius à materia dependet, & similiter unitas. Sic autem non erit quidem necessarium multiplicari formam secundum multiplicationem materiae, id est simul cum materia, & proportionem ipsius; non autem ita quod dependeat unitas, vel multitudo ipsius formae à materia. Ostensum est autem (cap. lxxviii.) quod anima humana est forma secundum suum esse à materia non dependens: unde sequitur quod multiplicatur quidem animae secundum quod multiplicantur corpora; non tamen multiplicatio corporum erit causa multiplicationis animarum. Et ideo non oportet quod destructis corporibus, cesser pluralitas animarum, ut prima ratio concludebat.

Ex quo etiam de facili patet responsio ad secundam rationem. Non enim quaelibet formarum diversitas facit diversitatem secundum speciem, sed solum illa quae est secundum principia formalia, vel secundum diversam rationem formae: constat enim quod alia est essentia formae hujus ignis, & illius; nec tamen est alius ignis, neque alia forma secundum speciem. Multitudo igitur animarum à corporibus separatarum consequitur quidem diversitatem formarum secundum substantiam, quia alia est substantia hujus animae, & illius; non tamen ista diversitas procedit ex diversitate principiorum essentialium ipsius animae, nec est secundum diversam rationem ipsius animae, sed est secundum diversam commensurationem animarum ad corpora. Haec enim anima est commensurata huic corpori, & non illi; illa autem illi; & sic de omnibus. Hujusmodi autem commensurationes remanent in animabus etiam pereuntibus corporibus, sicut & ipsae earum substantiae manent, quasi à corporibus